



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Disputatio I. De Conscientia errante.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)





OPVS MORALE  
DE VIRTVTIBVS,  
ET VITIIS CONTRARIIS,  
IN VARIOS TRACTATVS, ET DISPVTATIONES  
*Theologicas distributum.*

1792.  
Rodr.  
vna  
illa

TRACTATVS PRIMVS  
DE CONSCIENTIA.

PROE MIVM.

**A**GGRESSVS explanationem virtutum, & vitiorum, placuit initium sumere à conscientia, vtpote quæ est regula humanarum actionum. Duidoque eius tractatum in quatuor Disputationes, iuxta varias qualitates, quibus conscientia vestiri potest.

- Prima erit de conscientia errante.
- Secunda de probabili.
- Tertia de dubia.
- Quarta de scrupulosa.



DISPVTATIO I.

De conscientia errante.

PVNCTVM I.

Quid sit conscientia, & quotuplex.

- 1 Definitor conscientia.
- 2 Quotuplex est, explicatur, & qualiter speciatim definitur.
- 3 Quæ sit conscientia practica, quæ speculatiua, & an inter se pugnent.

1 **V**ARIAS conscientie acceptiones referunt Doctores cum Magist. in 2. distinct. 39. & D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 1. & 6. de quibus specialiter videri potest Salas tract. 8. disp. vnic. in princ. Azor. tom. 2. instit. moral. lib. 2. cap. 2. quæst. 1. illis tamen omittis, Conscientia, prout in presenti sumitur, est dictamen rationis, iudicans aliquid esse sequendum, vel fugiendum. Sic omnes Doctores. Dixi esse dictamen rationis, quia est actus intellectus non quecumque, sed iudicatus, quod intellectus iudicat, quid debeat voluntas fugere, quid amplecti.

2 Hoc dictamen rationis, seu hæc conscientia est multiplex, certa, errans, opinatiua, dubia, scrupulosa. Conscientia certa est iudicium certum saltem mortaliter, id est, de quo prudenter dubitari non potest. Quod si nitatur authoritati Dei, Ferd. de Castro, Sum. Mor. Pars 1.

omnem habet certitudinem, & vocatur fides diuina: si nitatur authoritati humana, varios habet gradus certitudinis, iuxta testimonium dicentium, & fides humana appellatur. Errans conscientia dicitur, quæ proponit sequendum, vel fugiendum, quod re vera non est. Opinatiua est iudicium infirmum, seu non certum alicuius partis cum formidine alterius. Dubia, quando non valet intellectus se in alteram partem inclinare, sed anceps est, quod si in aliquam partem se magis inclinet, dummodo illi non assentiatur, erit suspicio. Scrupulosa conscientia est apprehensio ex leuibus rationibus orta, quæ iudicium certum, vel opinatiuum oppositæ partis non excludit. Dubia autem, & scrupulosa conscientia proprie non est conscientia, cum non sit iudicium, & dictamen rationis: sed est dispositio ad illud; apprehensio enim, & inuestigatio rationum disponit ad iudicium; in quo iudicio conscientia proprie sita est. In his ferè omnes doctores conueniunt. Azor. supra, Salas scilicet. 2. num. 12. Vasq. 1. 2. disp. 67. c. 2. num. 7. Thom. Sanchez lib. 2. de matrim. disput. 41. n. 1. & lib. 1. in decalog. c. 9. n. 1. Ioan. Sanch. in suis select. & pract. disp. 41. num. 2.

3 Rursus conscientia, seu iudicium sumi potest in genere vel in specie, quod aliis terminis solet dici conscientia practica, & speculatiua. Iudicium, seu conscientia speculatiua vocatur quæ in communi dicitur aliquid esse faciendum, vel non faciendum. v. g. esse audiendam Missam die festo, non esse diebus festis laborandum, sartipere alienum esse malum; accipere ultra sortem in mutuo, esse vsuram, iudicium, seu conscientia practica est, quæ in particulari, & in specie dicitur quid sit hic, & nunc faciendum, vel fugiendum. v. g. esse hodie Missam audiendam ex obligatione, non esse laborandum: hæc acceptionem ultra sortem esse vsurariam, & euitandam. Dicuntur

A tamen

DE CASTRO PALAIO  
TOM. I. II. III. IV.



tamen communiter Doctores cum iudicio speculatio certo de aliqua veritate, posse, imò sæpius stare iudicium practicum oppositum, ut in exemplis allatis contingit: potes enim iudicare die festivo Missam debere audire ex obligatione præcepti, & iudicare simul te hic, & tunc propter infirmitatem, vel alias circumstantias non esse obligatum. At si bene perpendatur, hoc iudicium speciale contrarium non est illi generali iudicio, quia illud generale iudicium ad huiusmodi casum nunquam se extendit, nunquam enim vere, est generaliter iudicatum est die festivo obligationem esse infirmo, & impedito audiendi Missam, sed potius iudicari debet oppositum, ut optimè ex Cordaba lib. 3. q. 9. 5. notavit Vasq. 1. 2. 6. 5. disp. c. 2. & 3. Sed quidquid sit de contrarietate, vel conformatione huius practici iudicii, cum iudicio speculativo, iudicium practicum, & in particulari est quod præcipue actiones regulat, & quod sequi tenemur, ut inumeris aliis relatis docet Thom. Sanchez. 1. 2. de matr. disp. 4. 1. n. 8. His positus quæ communia sunt, ad conscientiam errantem deveniamus.

## PUNCTUM II.

## An sit obligatio obediendi conscientia erranti.

- 1 Nullam esse obligationem obediendi conscientia erranti, qua ratione probetur.
- 2 De inuit obligatio illi obediendi, dum non deponitur vera sententia, trahit eadem doctrina de conscientia errante inuincibiliter.
- 3 De ar. Proponitur quadam obiectio, & si illi satis.
- 5 Sacrisi argum. n. 1. adducti.
- 6 Operans ex conscientia inuincibiliter errante, operatur in eadem specie virtutis, qua operaretur, si à Deo res esset præcepta.

**N**on defuerunt, qui negarent hanc obligationem. Primo, quia conscientia errans in te mortali est contra legem diuinam. Sed tenetis legem diuinam sequi. Ergo non poteris teneri sequi conscientiam errantem. Secundo, Deus non potest esse sibi contrarius, ut videretur esse, si mandat obedire conscientia erranti. Ergo, Probo maiorem. Deus imperat sua lege ob nullum casum, etiam ob saluandam vitam, esse mentendum: conscientia errans dicit ob saluandam vitam alicuius debere mentiri. Ergo si Deus mandat obedire conscientia erranti, contrarius est sibi ipsi. Tertio, Deus author esse non potest alicuius mali moralis, aut alicuius falsi. Ergo non potest esse author illius iudicii errantis esse mentendum ob saluandam vitam alterius. Quod si author illius non est. Ergo non est obligatio sequendi illud: quod in tantum sequi tenemur conscientiam, in quantum est quadam regula à lege æterna deriuata.

2 Nihilominus certa sententia est, obligationem esse obediendi conscientia erranti, & distanti aliquid ut præceptum, est contrarium sit alteri præcepto diuino, dum non deponitur. Est omnium Catholicorum, ita ut contrarium non possit sine temeritate & periculo erroris affirmari ita Vasquez 1. 2. q. 19. ar. 6. disp. 5. c. 2. n. 6. Sal. q. 2. 1. 1. 8. disp. 5. n. 16. In Ioan. Sanchez select. disp. 4. 1. n. 2. Salas Vasquez plures doctores referunt, probantque conclusionem, tum Scriptura, tum Patribus, & decretis Pontificum. Ratio est manifesta. Nostra voluntas non alio modo obligatur præceptis obedire, nisi quatenus ab intellectu obligatio representatur, quia ipsa est caeca potentia, quæ non potest ferri in incognitum. Ergo ab intellectu errante representatur voluntati aliqua obligatio, quia representatur aliquid ut præceptum, iam voluntas ad illud amplectendum censetur ligata.

3 Conclusio intelligitur ne conscientia errante inuincibiliter, si enim vincibiliter errat, non tenetis illam sequi, si dicitur aliquid malum aliis tenetis facere peccatum, cum conscientia non te excuset: supponimus enim esse vincibilem. Neque inde fit te posse contrarium efficere, stante illa conscientia erronea vincibili, cum non habeas iudicium distans tibi, contrarium esse faciendum. Quod ergo efficere debes, est deponere illam conscientiam errantem, cum enim vincibilis sis, vinci, & deponi potest, ac pretere nunquam absolute perplexus es, & obligatus facere malum.

4 Dices sæpè non potero conscientiam errantem vincibiliter deponere, tum quia non te mihi offert, qui errorem tollat, tum & præcipue, quia non dubito de errore, licet alio tempore dubitauerim.

Respondeo in tali casu errorem reddi inuincibilem, & licet à principio vincibilis fuerit, at cum operationem dirigit, inuincibilis est siquidem vinci non potest. Quando autem error est inuincibilis, tenetis illum sequi, neque peccas te illi conformando: ita tenet Thomas Sanchez & lxx. in Decal. c. 1. n. 12. in fine & Ioan. Sanchez in select. disp. 4. 1. n. 26.

5 Argumenta in contrarium non obstant.

Ad primum dic conscientiam errantem, contrariam non esse formaliter legi diuinæ, quia lex illa diuina, cui videtur con-

trariari, tunc non obligat, cum non sit in iudicio intellectus, quod necessarium erat ad obligationem inducendam.

Ad secundum nego Deum sibi esse contrarium, & ad probationem respondeo Deum non imperare non esse mentendum in omni casu tam per se, quam per accidens, sed solum in casu, quo ab intellectu representatur abique errore eius lex de non mentiendo. In legibus enim latis à Deo immediate nulla est contrarietas: at in legibus, quas sibi homo præferibit, medio dictamine rationis contrarietas esse potest, ob contrarietatem in iudicando: sed illa contrarietas materialis est, non formalis, cum semper conformatur legi diuinæ dictanti conscientiam esse sequendam, nullaque alia præcepta nisi media conscientia obligare.

Ad tertium respondeo Deum non posse physicè, neque moraliter ad malum morale, vel ad falsum incitare: & ita neque consilium, neque præcipue esse mentendum, neque determinat intellectum, ut errorem illum habeat, sed tanquam causa vniuersalis ad illum concurrit. At posito errore bene potest præcipere esse mentendum, non quidem absolute, sed ex suppositione, quod conscientia errans id dicitur.

6 Ex his inferitur operantem secundum conscientiam errantem inuincibiliter, operari in ea specie virtutis, qua operatur, si res esset à Deo præcepta v. g. furatis, vel mentis. ut proximo subuenias, furtum, & mendacium erit actus misericordiae: quia tunc furtum, & mendacium nullam habet formalem malitiam, & ex alia parte recipit bonitatem à fine præsenso. Ergo. Et ita docet Thomas Sanchez, 1. in Decal. c. 11. n. 18. Azot. l. 2. c. 8. q. vlt. Salas 1. 2. 1. 8. disp. 5. n. 16. c. 3. n. 26.

## PUNCTUM III.

## Quod peccatum sit conscientia erranti non pateat.

- 1 Est peccatum mortale, vel veniale iuxta naturam actionum, qua exerceantur, & in illa specie, in qua est obiectum.
- 2 Quid si cogitatione non distinguitur speciem.
- 3 Quid si non distinguitur, an mortale, vel veniale sit.
- 4 Refertur sententia Vasquez, & Thom. Sanchez.
- 5 qui sentiant solum culpam venialem supradicto casu committi.
- 6 Quid sentiendum sit.

**O**mnes conueniunt esse mortale, vel veniale iuxta naturam actionum, quæ exerceantur. Itemque esse peccatum illius speciei, cuius est obiectum, v. g. conscientia errans dicitur hodie, (qui est dies festalis) esse præceptum audiendi Missam, si omittis, peccas mortaliter, & contra religionem si dicitur mentendum esse ob seruandam vitam alterius, & omittis, peccas contra charitatem, & sic de aliis.

2 Difficultas est, quando solum in genere existimas aliquid esse malum, neque cognitione distinguis speciem. Mihi difficile est talem dari cogitationem, cum conscientia practica sit, & ad opus dirigit. Sed dato contingere posse, dicendum est peccatum tunc commissum esse in ea specie, in qua est actus, quo velles in genere Deum offendere: hic enim actus in aliqua specie in finem debet constitui. Non enim omnes species vitij debet habere, aliàs debet grauius peccatum odio Dei, & infidelitate.

3 Sed quid si conscientia non distinguit, an veniale sit, vel mortale, sed solum sub confusione tibi proponitur esse malum: qualiter solet sufficere hominibus proponi, cum in Deum iurant, creaturas execrantur, die festo laborant, verbum otiosum, inhonestum, aut detractatorium dicunt, ratio enim illis proponitur dubium an mortale, vel veniale sit, sed solum in genere malum esse representatur.

4 In hæc're Vasquez 1. 2. quæst. 19. ar. 6. disp. 5. c. 3. n. 10. Thom. Sanchez 1. in Decal. cap. 1. n. 7. existimant, si in aliqua materia determinata feratur voluntas, ut in exemplis allatis contingit, ex materia illa desumendum esse grauitatem, vel leuitatem peccati, Vnde dicunt te peccare venialiter, si veniale est obiectum: mortaliter, si mortale est. Quia illa cognitio de malicia obiecti non distinguit, an sit mortalis, vel venialis sufficit ad vitamque malitiam deominandam, cuiusque indifferencia ex obiecto debet determinari. Verum si voluntas non feratur circa aliquod speciale obiectum, sed solum in genere malum velis efficere; affirmat Vasquez, & Sanchez supra, & Azot. tom. 1. in situ. moral. l. 2. cap. 8. quæst. 6. & Sayrus in clauis regia lib. 1. c. 4. n. 17. esse peccatum mortale, quia illa voluntas amplectens malum abique sufficere eximine qualitates culpæ, manifesto periculo se exponit amplectendi malitiam mortalem. Item illud obiectum, prout à voluntate amplectitur, indifferens est ad mortale, & veniale. Ergo voluntas quantum est ex se mortale amplectitur.

5 Alij e contra affirmant in supradicto casu committi solum culpam venialem, ita Nauarr. sum. lat. practud. 9. Ludou. Lop. 1. part. instruci. confes. 3. vers. præsertim Valent. 1. 2. disp. 1. quæst. 14.



quod 14. p. 4. q. 3. sine Salas ibi q. 21. tract. 8. disp. vn. sect. 3. n. 33. & tract. 3. disp. 4. sect. 3. n. 36. S. Regius verum Anton. Perez certā. to. scolast. m. 29. Man. Rodrig. 1. s. sum. c. 71. sine. 2. edit. Ratio, quia voluntas appetens malitiam in communi non appetit magis excedentem culpam venialem, aliā si excederet, non esset venialis & mortali communis.

6 Ego verò dicendum existimo, etsi supradictæ sententiæ probabiles sint, probabilius esse in supradictis casibus peccatum mortale reperiri. Et quidem, quando voluntas nullum speciale obiectum amplectitur, sed solum in genere vult, sic probat, quia tunc voluntas quantum est se mortale amplectitur, cum ad mortale, & veniale indifferens sit. Neque obicitur ex parte obiecti malitiam in communi maiorem non esse malitiam veniali determinatè: quia sufficit quòd indeterminatè maior sit, siquidem mortalem comprehendit, & ratione, huius indeterminatæ voluntas illam malitiam amplectens, debet censeri mortalem amplecti. Quòd si voluntas in obiectum venialiter malum feratur, neque cognoscens eius modicam malitiam, sed solum cognoscens esse malum absque distinctione malitiae mortalis, vel venialis, etiam probabilius existimo fore mortale: quia illa voluntas iam se exponit amplecti peccatum mortale, per accidens enim fuit, quòd obiectum veniale solum esset, eodem enim modo illud amplecteretur, si mortale fuisset. Et confirmo, cum amplecteris obiectum venialiter malum, dubitans an sit mortale, peccas mortaliter secundo omnia sententiam, qui te exponis periculo mortale committendi sed quando tibi representatur obiectum malum, & prohibuit, neque distinguas an sit mortale, vel veniale, si id amplecteris, iam quantum est ex tua voluntate, periculo mortale committendi te exponis. Ergo. Et ita ex communi sententia supponit Ioan. Sanchez in select. disp. 18. n. 1. & dicitur Thom. Sanchez l. 1. in Decal. c. 1. n. 9. Bonacina disp. 2. de peccatis q. 2. punct. 3. n. 14.

PUNCTUM IV.

An sit peccatum agere contra conscientiam non actu errantem, sed habitu.

- 1 Explicatur questio.
2 Plures affirmant te peccare, quoties non reuocasti primum errorem dictamen.
3 Probabilis est oppositum.

1 Verbi gratia, errasti existimans esse peccatum ius canonicum, vel physicam audire, ex huiusmodi errore physicam audis, immemor conscientiae errantis, & dictantis esse peccatum. Item errasti, vincibiliter putans in hac hebdomada nullum esse diem festiuium, vel ieiunij, cum tamen sit, adueniente die festo, vel ieiunij, Missam, vel ieiunium omittis, quin tibi dubium occurrat esse diem festiuium, vel ieiunij, peccas omittens Missam, vel ieiunium.

2 Affirmant plures te peccare, quoties dictamen prius non reuocasti, quia tale iudicium cum reuocatum non sit, moraliter manere censetur. Ita Med. 1. 2. q. 19. art. 6. vobis sed nunquid. Rodrig. 1. tom. sum. cap. 71. n. 2. Villalobos tom. 1. sum. tract. 1. diff. 1. n. 2. Hac tamen sententia limitatur à Medina, dummodo dictamen rationis antiquum non fuerit, quia quòd antiquum est, non censetur manere.

3 Probabilis existimo contrarium, nempe in te physica audienda, vel in omissione facti, aut ieiunij non peccatum actum, nisi actum sit conscientia dictans esse peccatum, vel actum dubites de eius obligatione. Ita à Lor. tom. 1. iustit. moral. lib. 2. cap. 8. q. 12. Valquez disp. 60. cap. 3. sine Salas disp. vnic. sect. 3. n. 19. Thom. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. n. 7. Probat. Opera illa externa nequaquam possunt oīiri à voluntate, & iudicio præterito, cum neque illa voluntas neque iudicium præteritum adint, neque aliquis effectus ab illis productus, qui opera externa causet. Ergo non possunt in illis operibus malitiam aliquam denotare. Confirmo. Ideo cum venenum tribuis alicui, quo vita illum prius, cum eris homicidium committere, etiam si dolcas antequam venenatus è vita discedat: quia illa voluntas antequa occidendi in aliquo effectu manet. At in præsentī illa intentio procedens non audiendi Missam, & iudicium errans de obligatione, non manent in se, neque in aliquo effectu. Ergo. Secundo si actus censetur manere moraliter, & denominatè opera subsequentiā, dum non retractatur, Ergo infidelis qui omnia sua opera in honorem idoli referret, peccaret semper peccato infidelitatis, quod videtur absurdissimum.

Respondet Med. Primo non peccare. Nam exercenda aliquod bonum opus, v. g. elemosinam ob subleuandam pauperis miseriam, voluntatem priorem censetur retractare.

Secundo respondet. simul dum tempus præcessit, non est censenda manere moraliter. Sed vtramque solutionem optimè impugnat Salas supra. Prima enim stare non potest. Non enim potest censeri infidelis retractare priorem voluntatem, qua vult omnia sua opera in honorem idoli referri; ex eo quòd opera

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars 1.

ex obiecto misericordiae, vel iustitiae exerceat, cum hæc exercitatio, & intentio contraria non sit priori voluntati. Secunda etiam solutio non subsistit, non enim dilatio præcisè perseverantiam moralem iudicij & voluntatis potest auferre.

PUNCTUM V.

An pecces sequens conscientiam errantem, si dicet vtramque partem contradictionis esse malam.

- 1 Proponitur punctus controversus.
2 Resoluitur nullum peccatum in supradicto casu committi.
3 Proponitur quadam obiectio.
4 Soluitur.
5 Quid inde inferatur.

1 P Onitus te inuincibiliter errare, obligatum esse audire Missam, cum infirmum curas, & inuincibiliter errare existimans peccare, si infirmum deseras ob Missam audiendam. Item ex illis excommunicatus, neque potes ab excommunicatione absolui; credis si audis Missam peccare, si illam omittis etiam peccare, committisne peccatum cuiusvis partis electione.

2 Breuiter dicendo existimo cum Thom. Sanchez lib. 1. in 6. Decalog. cap. 11. num. 14. Ioan. Sanchez select. disp. 41. n. 27. sine. Adrian. quest. de restitut. qua incipit: quia dictum est. Man. Rodr. 2. tom. sum. cap. 51. n. 6. in tali casu nullum peccatum committi, quia non adest libertas sufficiens ad peccatum: cum enim vna ex illis contradictoriis sit tibi necessariò eligenda, & in illa representetur peccatum, iam peccatum erit necessariò eligendum: quòd est absurdum.

3 Dices, Etsi vna ex illis contradictoriis est mihi necessariò eligenda: at cum vnam determinatè eligo, liberè eligo, poteram enim illam omittere, & contrariam eligere. Ergo pecco amplectens illam, credens esse malam. Et confirmo. Si prædeterminatus essem, & necessitatus ad obedientiam Deo præstandam, qualiter Christus Dominus dicitur necessitatus fuisse obedire suo æterno Patri: tamen huic, vel illum actum, liberè exercebam, sufficiens libertas adesse ad meritum. Ergo similiter ad demeritum sufficit libertas ad hunc, vel illum actum determinatè, etiam cum necessitate ad vnum ex illis.

4 Respondeo te liberè eligere vnam ex illis partibus contradictoriis, nego tamen inde peccatum: non enim sufficit ad peccatum amplecti malum, quòd determinatè vitari potest, sed necessariò requiritur amplecti malum, quòd etiam æquialenter vitari possit. At in supradicto casu etsi vnum malum euites, aliud æquè malum tibi est necessariò eligendum. Ergo illud malum quòd eligis, non potes saltem æquialenter vitare. Ad confirmationem dic non sufficere ad meritum libertatem ad hunc, vel illum actum obedientiæ, si vterque est æquè bonus, quia non es dignus laude, eliciens vnum si alium æquè bonum teneris elicere in Christo Domino, etsi determinatio esset ad bene operandum, at quia erat libertas ad plures actus inæquales, ideo meritum in illis rectè constitui potest.

5 Ex hac doctrina à fortiori inferitur, hominem carere detentum, & existimantem peccare non audiendo Missam, nequaquam peccare. Quia illa omisso facti non est libera vno modo. Neque illud iudicium causa est illius omissionis, cum omisso à causis aliis extrinsecis procedat. Solum enim est iudicium speculatiuum falsum, quo iudicas in tali omissione esse peccatum, cum tamen non sit, & ita tenet expressè Ioan. Sanchez supra. Thom. Sanchez. n. 3.

PUNCTUM VI.

Expediuntur aliquot leniores difficultates de conscientia errante.

- 1 Sine maius peccatum sequi conscientiam errantem vincibiliter, quam illam non sequi.
2 Resoluitur aliquando esse grauius, aliquando leuius.
3 Idem dicendum de operante contra conscientiam errantem vel contra præceptum superioris.
4 Sine obediendum conscientia erranti, vel superiori contrarium præcipienti.
5 Non potes pro libito conscientiam errantem deponere.

1 P Rima difficultas, an sit maius peccatum sequi conscientiam errantem vincibiliter, quam illam non sequi, posito te nolle diligentiam facere, vt deponas?

2 Respondeo aliquando esse grauius peccatum, aliquando leuius, pro materiæ grauitate, vel leuitate. Si enim existimas debere mentiri, vt vitam alterius conserues, & omittas, peccas mortaliter, cum tamen in mentiendo venialiter tantum peccares: si tamen existimas te debere furari, ad elemosinam alicui

A 2 pauperi

DE CASTRO PALAIO TOM. III. LIB. III. CAP. IV.



pauperi elargiendam & omittas minus videris peccare quam si furtum committis. Ratio est, quia ut bene dixit Sylveiter verbo conscientia, quasi. r. ex D. Thom. in 2. distinct. 39. conscientia non ligat virtute propria, sed praecepti superioris, quod representat, quod praeceptum est à superiore latum antea non sit media tamen conscientia ferret, & promulgatur, ac proinde eodem modo obligat, ac si à Deo latum à teo fuisset. Ex quo soluitur fundamentum Basolis in 2. distinct. 38. & 39. qu. unica, artic. 3. affirmans semper esse maius peccatum sequi conscientiam vitiosè errantem, quam illam non sequi, quia in sequenda conscientia committitur praeceptum superioris, in illa sequenda contemnitur praeceptum Dei, & recte rationis. Dicimus namque semper contemni praeceptum Dei, & recte rationis dictantis contra conscientiam operandum non esse illa durante, & ita relatis Durando, Aman, Cordub. docet Azor. s. i. instit. moral. lib. 2. cap. 8. q. 9. Sayrus in elauis regia lib. 1. cap. 24. n. 24. & seqq. Thom. Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. n. 15. Valquez. 1. 2. q. 19. disp. 60. c. 3. n. 10. Salas tr. 8. disp. c. 3. n. 27. Sylveit. q. 1. verb. consilia.

3. Secunda difficultas, an sit maius peccatum operari contra conscientiam errantem, quam contra praeceptum superioris. Respondeo iuxta supradicta pro qualitate materiae metiendam esse obligationem, & grauitatem. Aliquando enim transgredi praeceptum superioris erit grauius, quam transgredi praeceptum conscientiae, si materia praecepta à superioribus grauior sit. Verum si superior, & conscientia circa eandem materiam versantur, grauius erit transgredi praeceptum superioris, quam praeceptum conscientiae mala fide errantis. Quia in hac transgressione conscientiae inuoluitur aliqua ignorantia, quae voluntatum minuit, ac proinde grauitatem peccati. Dixi grauius esse regulariter loquendo: nam aliquando error est ita casualis, & supinus, & affectatus, vt scientiae firmam praecepto aequiualet.

4. Tertia difficultas, an obediendum sit conscientiae erranti, vel superiori contrarium praeceptum. Respondeo, si conscientia inuincibiliter errat, absque dubio rei est obediendum: at raro contingit inuincibiliter tunc errare, praesumptum enim debet pro superioris praecepto, ac proinde deponenda conscientia, & obediendum Praelato. Ita Valquez disp. 61. c. 1. & Azor. l. 2. c. 8. q. 10.

5. Quarta difficultas, an possit pro libito conscientiam errantem deponere. Respondeo nullo modo posse, cum manifesto periculo re exponas veram conscientiam deponendi: illa enim falsa conscientia tibi apparet, vt vera. Si ergo veram pro libito deponere non potes, quia non potes pro libito te legibus diuinis exuere, neque poteris conscientiam errantem pro libito depellere. Secundo, vel illa conscientia ex rationibus probabilibus errat, vel ex rationibus moraliter certis secundum tuam estimationem: quocumque modo sit, vt prudenter deponatur, debent adesse rationes saltem probabiles in contrarium. alia temere procedes, neque poteris honeste actionem, cum oriatur ex iudicio absque vlla ratione efformato: & ita docet contra Caietatum. 1. 2. quaest. 19. artic. 5. & 6. Salas ibid. tract. 8. disp. unica, sect. 3. n. 30. Valquez disp. 67. cap. 1. ad fin. & aliis pluribus relatis Thomas Sanchez lib. 1. in Decal. cap. 11. num. 10.



DISPUTATIO II.

De conscientia opinante, seu de opinione.

PUNCTVM I.

Quae sit opinio probabilis, quae probabilior, quae communis, & an communis singulari sit praefertenda.

1. Qui de his agant late.
2. Quae sit opinio probabilis.
3. Sufficiat ne vnus auctoris dictum opinionem probabilem consistuere: Respondetur cum distinctione.
4. Propositio alicuius Doctoris neoterici, tamen si videatur contra communem non debet vt improbabili iudicari.
5. Debet tamen hac propositio non incidere, & perfunctorie esse prolata.
6. Factum vnus Doctoris non videtur opinionem probabilem consistuere.
7. Opinio probabilior est, quae firmiori ratione fulcitur.
8. Regulariter quae à pluribus approbatur, probabilior est iudicanda.

9. Sapè sententia probabilior non talis tibi apparet.
10. Opinio communis est quae communiter à Doctoribus rem ex professo tractantibus defenditur.
11. Haec opinio regulariter particulari est praefertenda.
12. Aliquando singularis communi praefertur.

1. **D**E his igitur latissime Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 2. à cap. 9. Valquez. 1. 2. quaest. 19. disp. 62. Anton Perez in sua laurea certam. 10. scholast. dub. 2. à cap. 6. vsque ad 9. & alij in diuersis referendi.

2. Primò igitur dicendum est opinionem probabilem eam esse, quae firma ratione fulcitur, neque contra se habet rationem conuincentem: enim illam habet, iam non opinio, sed error erit, vt bene dixit Ioann. Sanchez in select. disp. 14. n. 8. Contingere autem poterit, vt tibi probabiliter opinanti ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, sed non inde probabilitatem opinio amittit: nam licet tu solvere illam rationem non possis, alius tamen solvere poterit, & hoc tibi debes periuadere, alius scilicet rationes tibi insolubiles representantur, quae ab alijs facillimo negotio soluantur. Quare imprudenter procederes, si ob hanc causam, aliorum opinio, quae vt probabiles circumferuntur, improbabiles iudicares: consentit Ion Sanchez, supra Thom. Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 9. n. 6. Sayrus in elauis regia lib. 1. cap. 6. n. 7. Valquez disp. 62. cap. 4. n. 8.

3. Solum est dubium, an vnus auctoris dictum sufficiat opinionem probabilem constituere!

Respondeo cum distinctione, si res pro qua est opinio ab auctoribus agitata non sit, nemini potest esse dubium, dictum vnus grauis, & pij Doctoris, qui ratione firma intelligit moueri, sufficere ad opinionem probabilem constituendam tam tibi, quam alijs: si veto res controuersa sit à paucis, potest vir doctus aduersus illos sentire, si rationem firmam in contrarium habeat. Quod si à multis sit ex professo res agitata, & omnes perpenis rationibus vnus sentiant, adhuc existimat Ioan. Sanchez in select. disp. 44. num. 62. posse vitum doctum contrarium probabiliter opinari, si videat aliquam rationem pro sua parte stare ab illis insufficienter solutam hoc enim modo opiniones probabiles in scholis fuerunt introductae. Verum etiam hoc in aliquo casu contingere possit, raro tamen: potius enim talis Doctor credere debet se errare, quam aliorum iudicio praeponi timere enim debet ne lumen, quod sibi esse videtur, tenebris suae prudentia enim & humilitas petat aliorum iudicio le subicere, & conformare, vt rectè colligit Nauar cap. 17. num. 286. & 289. ex cap. prudentia, de officio de legatis, & cap. de quibus. dist. 20. Aliquando tamen quod multis secundum, & abstrusum erat aliqui manifestatur. Quot enim veritates tempore D. Thomae, & Bonauenturae elucidatae sunt aduersus communem, & receptam sententiam; Ecclesia enim Dei quotidie illuminatur; & vt bene dicit Gloss. in cap. ad nostram de consuetud. verbo incipientibus iterum reuelatur minor quod maior nescit: & est optimus textus ad id probandum cap. si habet. 24. quaest. 3. quod est August. & cap. esto subiectus, quod est Hieronymi. ante finem. 95. dist. Et ita vnus Doctoris grauis dictum, si firma ratione munitur, sufficere ad probabilem opinionem ascendendam aduersus communem docuit azor. 1. cap. 17. qu. 6. Gabriel Valquez. 1. 2. c. 1. disp. 62. cap. 4. n. 12. Thomas Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 9. n. 9. Villalobos sum. tom. 1. tract. 1. d. ff. 4. num. 17. Henriquez de pontif. leg. lib. 4. cap. 18. num. 13.

4. Ex his inferitur manifeste, si in libro alicuius Doctoris neoterici inuenias aliquas propositiones absolute affirmatas, quae aduersus communem videntur, non illas vt improbabiles debes iudicare; imo potius illas debes censere probabiles, dum tibi non constat à Sede Apostolica esse vt improbabiles iudicatas. Si enim ex consilio illius doctoris verbo tenus prolato moueri poterat ad agendum, qualiter mouetur discipulus, & secutè procedit sententiam magistri pij, & grauis sequens, vt tenet Panormitanus in cap. Capellanus, de feris. Imolac. per tuas. et. 2. de simonia & tradit Villalobos tom. 1. sum. tract. 1. difficult. 6. num. 1. Nauar. concil. 2. de penitent. & remissionib. à fortiori poteris ex consilio typis mandato, cum tunc maiori circumspectione proferatur, & ab alijs doctis sit prius approbatum: sic docuit Azor lib. 2. cap. 17. quaest. 4. & 5. Villalobos supra Dixi, alicuius Doctoris neoterici pij, & grauis Nam de Doctori antiquo maior dubitatio esse potest, an eius opinio et si suo tempore probabilis fuerit, antiquata iam sit & à Sede Apostolica censetur communiter reprobata, ac proinde vit rudi, & in doctus eius dictis tantum fidere non debet, quae omnia optime docuit sicut solet, Thomas Sanchez doctrinae mortalis lumen lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 10. & 11. & consentit Valqui 2. disp. 62. cap. 4. num. 17. & 18. Villalobos 1. 1. sum. tract. 1. d. ff. 6. num. 1.

5. Aduerte tamen, vt opinio alicuius Doctoris aduersus communem probabilis censetur, non sufficit, si per se forte, & incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit (est ita placet Ioan. Sanchez disp. 44. num. 62. fine). Nam vt bene dixit Mascardus de probationib. concil. 1143. n. 11. quae dicitur,